

utilitatis et commodorum rationem id exposcere, ut ei, quod hac in re jam a priori matura Deliberatione discussa Nobis clementer Statuere visum est, deinceps quoque pro munere Nostro Regio insistamus;

Eapropter (Juramento etiam per Spectabilem ac Magnificum Comitem Banum Fidelem Nobis Sincere Dilectum, qua praeattacti Novi Consilij Nostri Regii Praesidem, in Praesentia Nostra Caesareo-Regia jam deposito existente) Fidelitatibus Vestris hancce benignam atque constantem Voluntatem Nostram ea cum ulteriori clementissima Declaratione significandam esse duximus: quod quemadmodum Nos Novum hoc Consilium Regium in omnibus ad Normam Consilii Locumtenentialis Nostri Hungarici, in Regnis etiam istis Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae instituendum benigne decrevimus, ita etiam ejusdem Activitatem et Dependenciam talem omnino in omnibus et singulis, qualis praeattacti Consilij Nostri Locumtenentialis Regii Hungarici est, futuram; neque Nos admissuras, ut illud sphaeram activitatis suae vel in Militaribus, vel in publicis negotiis quoquo modo excedat; quin potius curaturas, ut in his Banalis Authoritas et Statuum et Ordinum Regni activitas semper salvae maneant. Hinc etiam benigne admittimus: Ut non solum haec novi Consilii Regii per Nos facta Institutio in proxima Generali Regni Hungariae Diaeta inarticuletur; verum etiam, ut partes maritimae, actu per Consilium Commerciale possessae, ut hactenus ab eodem dependeant; Quoad ipsos vero tres Slavoniae Comitatus, dum effectus bonae in Contributionalibus Manipulationis ex ipsis ejusdem Consilij Operationibus primum prodiverit, eorum circa eosdem Comitatus Slavonicos quoad Contributionale quoque crebro fati Consilij Regii Curae et Directioni subjiciendos benigne sumus dispositurae. De reliquo Fidelitatibus Vestris Gratia Nostra Caesareo Regia benigne propensae manemus. Datum in Archi-Ducali Civitate Nostra Vienna Austriae Die prima Mensis Augusti Anno Domini Millesimo, Septingentesimo, Sexagesimo Septimo.

Maria Theresia m. p.

Comes Georgius Fekete m. p.

Ladislaus Battha m. p.

*Intitulationis tenor talis est:*

Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Magnificis item Egregiis et Nobilibus, nec non prudentibus ac circumspectis N. N. Regnorum Nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Universis Statibus et Ordinibus, Fidelibus nobis dilectis. Varasdini ex offio.

(Locus Sigilli Regii.)

(Caeteris exmissis.)

Originale in Archivo Regni Croatiae.